DE ELEMENTIS secundum Hippocratem & Galenum.

DISPVTATIO ORDINARIA INSTITVTA

A

D. DOCTORE Martino à Drembach,

AMPLISSIMI MEDICORVM COLLEGII DECANO.

Ad quam respond.

MICHAEL BARTH ANNÆBERGENSIS ARTIVM ET PHILOSOPHIAE MAGISTER.


DIE XVII DECEMBRIS.

LIPSIÆ

IOHANNES RHAMBA EXCVDEBAT

ANNO


M. D. LXI.



W woluminie kolejno współoprawne sygnatury:

Odręczny spis tytułów

SD 4122 II
SD 4123 II
SD 4124 II
SD 4125 II
SD 4126 II
SD 4127 II
Inc. 331
SD 4129 II
SD 4130 II
SD 4131 II
SD 4132 II
SD 4133 II
SD 4134 II
SD 4135 II
SD 4136 II
SD 4137 II
SD 4138 II
SD 4139 II
SD 4140 II
SD 4141 II
SD 4142 II
SD 4143 II
SD 4144 II
SD 4145 II
SD 4146 II
SD 4147 II
SD 4148 II
SD 4149 II
SD 4150 II
SD 4151 II
SD 4152 II
SD 4153 II
SD 4154 II
SD 4155 II
SD 4156 II
SD 4157 II
SD 4158 II
SD 4159 II
SD 4160 II
SD 4161 II
SD 4162 II
Inc. 331 b
Rkp. XVI wiek




BIBLIOTEKA GŁÓWNA
UNIWERSYTETU im. A. MICKIEWICZA
W POZNANIU

In hoc libro contenta

1 Carmen p̄ Iuvenca mediana, & de peste, Gab: Ayala Port. G.
2 Pompeia epigon medica, eiusde, Antherpiae ao 62 L
3 Podagrae libri elegiaci p̄ Ecb: Hessu. Tlogishio, 51 C.
4 Febris dialogis Hutteniq, 14 breviadi Lilhoeq A.
5 In C Plinij l. 30 cap: 12. Tlagiae Apologia Trutenq. G
6 Matheoli tract de artificiali memoria. A
7 Ars memorandi Ge: Sibilij a poëmata alios A.
8 Vespertilio excusa p̄ Ioan Cornarium ao 45 Tiael in Tlorelio.
9 Nitea ac Brabyla p̄ Virg: excusa serenanda p̄ eid Aug. E
10 Ad illiberes calumnias Tuthi, rusio Egenolphi B.
11 Disputo de testium nia & mial seminis nia D. Roth a
12 Disp: Wenceslaj Baiery p̄ D. Roth. Afeil.
13 Disp: Henrici Skenerj, de morbo Gal.
14 Disputo D. Aurebachij de pleuritide &c. D
15 Disputonis diae D. Rotha p̄ Doctorandis aliqs.
16 Disp: D. Aurebachij, de Rbo Comitiali.
17 Disp: Caspi: Naeij de Phlebotomia. ao 48.
18 Disp: D. Tenchij, p̄ Reitzachero doctorando.
19 Disp: D. Menecij de asthmate, endente Pelio. ao 49. C
20 Disputo D. Roth cum Paracelsicis de Phlebotomia diei
21 Altercatio & purgatio Criminis D. Naeij, ao 51. C
22 Disp: de phlegmone, Hamilleij & Flacij.
23 De bolione & balneis D. Aurebachij & Tlagelbis E.

24 Disputata Jacobi Melichij q Peucero a Nathero.
25 Disp. P. Rolli q Bedino, Macholdo.
26. Disp: de causis febrium in genere, D. Clorinj.
27 Disp: P. Sim: Scherbij de Arthritide Medica.
28 De sang a pituita D. Peembork q 3 Doctore
29 D. Deembork q doct 30 Quaest medica D
31 De calore a spiritu natiuo disp Menceij a Steinmetz. C.
32 De anno a eius generibus D. Hofmann a Scherbij
33 De lacte disp: Pfeiferj a M. Barth. 34 Ecstasis Stracke
35 Memoria Hipp a Gal. D Deembach a M. Barth.
36 Regula medendi ratio D. Menceij. C.
37 Cur a principium cardinalium D. Tabij Regiomon. C.
38 Diuinatrices Apollinis natiue Dirae Lamiae Faiseuae
39 Origo a ea vetus q Bernhardi Lincelbergij
40 Cur Dy Pestilentij D. Henrici Stromeri 41 D. Kentmanij.
42 Von vngetzieferen. 43. Vom Vnrein Creatur
44 Facultas a mores mulieris carm. 45 Cathyges D. Pictorius E.

DE ELEMENTIS secundum Hippocratem & Galenum.

DISPVTATIO ORDINARIA INSTITVTA

A

D. DOCTORE Martino à Drembach,

AMPLISSIMI MEDICORVM COLLEGII DECANO.

Ad quam respond.

MICHAEL BARTH ANNÆBERGENSIS ARTIVM ET PHILOSOPHIAE MAGISTER.

DIE XVII DECEMBRIS.

LIPSIÆ

IOHANNES RHAMBA EXCVDEBAT

ANNO

M. D. LXI.

35

D. Martinus à Drembach
COLLEGII MEDICI IN
ACADEMIA LIPSICA
DECANVS, LECTORI
S. D.

SIngulare ac stupendum factum ait Galenus designasse eum, qui omnium quæ oriuntur atq; intereunt corporum elementa primus inuenit, atq; demonstrationibus confirmauit. Omnium uerò quorum memoria ad posteros peruenit, primum fuisse diuinum Hippocratem ueritatis atq; artis Medicæ parentem, qui non modo numerata illa & nominata asseruit, rerum euidentiam secutus: sed eorum etiam qualitates, & ueram commistionem ostendit, idem Galenus locuples est testis. Dum enim corporum nostrorum elementa inuestigauit, uniuersi quoq; elementa simul declarauit. Galenum uerò, ut est fidelissimus atq; unicus ferè Hippocratis interpres, non modo non piguit inter infinitas propè commentationes, Hippocraticam de his doctrinam, in gratiam & ad captum cuiusdam amici peculiari primum uolumine comprehendere atq; illustrare: sed neq; in progressu ætatis ad plenam atq; accuratam Hippocratici de Hominis Natura libri enarrationem, redire molestum illi fuit. Cuius ego cum in hac mea senectute intuerer exemplum, non puduit me quoq; de his Disputationem in Schola nostra instituere, ut repetita doctrina Hippocratica & Galenica iuuentus confirmetur in comperta ueritate: præsertim cum non desint hoc seculo, qui eorum doctrinam labefactare, & nescio quæ commenta quibus animi implicentur, substituere totis uiribus conentur. Contra quos hæc ipsa doctrina quæ totius Philosophiæ atq; Medicinæ basis est & fundamentum, inprimis studiosè defendenda atq; propugnanda est: ut sine qua neq; natura cognosci, aut sanitas conseruari, neq; medendi ratio inueniri, neq; medicamentum ullum potest componi.

Hæc igitur consilij nostri fuit ratio, quæ hoc loco etiam exponenda esse uidebatur. Vale.

SD 4154 11

An { Sicuti omnia quæ oriuntur & intereunt, ex quatuor primis & simplicibus corporibus alterabilibus componuntur: Igne, aëre, aqua, & tera:

Ita Homo animal perfectissimum, ex quatuor humoribus constet: Sanguine, pituita, & duplici bile, qui sint ipsius natura: quibus contemperatis sanus ipse degat, distemperatis uero, & deficiente aliquo uel aucto, uel loco suo moto, affligatur, ac langueat, & nisi dextrè succurratur, intereat?

DEFINITIO NOMINIS ET REI.

CONCLVSIO

I.

CVm non modo secundum M. Tullium, sed Platonem quoq; Omnis in quærendo quæ uia quadam habetur ratio, præscribere primum debeat, ut quibusdam in formulis ea res agatur, ut inter quos disseritur conueniat, quid sit id de quo disputetur: par erit nos quoq; à definitione sumere disputationis nostræ initium.

II.

Sed primum nominis ratio est definienda, postea res explicanda.

III.

Στοιχεῖα igitur quæ Latini ex Græco elementa, Cicero etiam initia nominauit, à Grammaticis dicuntur literæ.

IIII.

Grammaticorum vero exemplo, Philosophi quoque & Medici translata uoce, elementa corporum nominarunt.

V.

Testes huius translationis sunt, non modo Grammaticorum commentarij, sed & Galenus ipse in præfat. Comment. I. in Hipp. de N. H.

VI.

Dici uidentur Græcis quidem παρὰ τὸ στίχω, ἢ ἀπὸ τοῦ στίχω: Latinis uero nonnullis quasi alimenta, aliis quasi elimenta, aliis quasi eleuamenta. Sed de Etymologia hoc loco non laboramus.

VII.

Elementum porro (vt ad rem ueniamus) minima pars est eius rei, cuius est elementum.

VIII.

Minimum uero uocamus id quod est natura & re uera minimum, non quod sensu.

IX.

Ex quo liquet: sensum neutiquam esse iudicem uerorum Elementorum.

VARIAE OPINIONES DE ELEMENTIS.

X.

Sed unúmne sit tale corpus, an plura, & qualia inuestigandum est: de quibus multi multa ac uaria animis conceperunt.

XI.

Refert non paucas Medicorum sententias Herodotus in Medico, qui liber uulgo Galeno attribuitur.

Sed

XII.

Sed omnes omnium opiniones rectè ad quatuor capita redactæ sunt à Galeno.

XIII.

Aut enim statuerunt quidam omnia composita esse ex non sentientibus, neq; susciptentibus alterationem: aut ex sentientibus, & alterationem susciptentibus: aut ex sentientibus quidem, sed alterationem non ferentibus: aut ex alterabilibus, sed minimè sentientibus.

XIIII.

Ex quibus nonnulli absurda dixerunt, quidam possibilia, Alij non modo possibilia, sed etiam uera.

XV.

Et uera quidem protulerunt ij, quorum sententia ultimo loco est relata, qui scilicet elementa fecerunt sensus quidem expertia, sed tamen alterationem susciptentia.

QVOT ET QVAE SINT VNIVERSI ELEMENTA.

XVI.

Probata à nobis sententia eorum qui alterabilia fecerunt elementa: proximum est vt vnúmne an plura sint, explicetur, & si plura, quótnam & quæ illa censenda sint.

XVII.

Sed cum in confesso sit, quod vnum & idem à se ipso non alteretur: cumq; constet, quod uera mistio sit mistilium alteratorum vnio, nemo est qui non intelligat, quæ oriuntur atq; intereunt corpora non ex vno, sed ex pluribus elementis esse composita.

XVIII.

Numerus igitur Elementorum definiendus cum sit, quatuor numero esse totius vniuersi Elementa, cum inuentore Hippocrate, & eius sectatore Aristotele asserimus.

XIX.

Neq; arbitramur hominem in Philosophia aut Medicina confirmatum, moueri posse aut debere, quantumuis suauibus, inanibus tamen quorundam somnijs, qui labefactare conantur doctrinam, non modo optimis rationibus stabilitam, sed etiam per vniuersalem experientiam tot seculis comprobatam.

XX.

Hæc sunt ignis, aër, aqua, & tera.

XXI.

De horum qualitatibus infra quæritur, Nam & cætera quæ sunt de his philosophicè inquirenda, consulto hic omittimus, contenti qualicunq; communium elementorum subiectione, à qua deinceps ad animalis & ad corporis humani elementa ut Medici progredi rectè possimus.

QVOD EADEM SINT PRIMA ELEMENTA ANIMALIS ET HOMINIS, QVAE SVNT VNIVERSI.

XXII.

Ex quatuor igitur dictorum Elementorum apta contemperatione, uaria corpora composita oriri, sensu

sensu quidem & ipsa carentia, plantas uerbi gratia, facilè fortassis intelligentibus persuaserimus: Sed ex ijsdem originem trahere ea quoq; quæ sensu sunt prædita, dubitare fortassis aliquis adhuc poterit.

XXIII.

Verum is facilè informabitur, si ostensum ei fuerit, Quod in omni quæ ex pluribus fit compositione, si talia manserint semper quæ componuntur qualia fuerunt ab initio, nullam extrinsecus nouam speciem assumant, quæ non antea affuerit ijs quæ composita sunt.

XXIIII.

Si uero hæc uarientur, transmutentur, ac multipliciter alterentur, poterit aliquid aliud secundum genus exultare, quod prima eius elementa non habuerunt.

XXV.

Hac igitur ratione, quemadmodum per multas transmutationes album potest fieri nigrum, sic quoq; expers sensus, fieri potest sensuale.

XXVI.

Clarius fiet quod dicimus hoc modo: Ex ijsdem sumus quibus alimur. Alimur vero ut & cætera animalia plantis & animalibus, & inde sanguis ac nutritio, semen etiam atq; generatio, & auctio hominis oritur. Sumus igitur ex ijsdem ex quibus plantæ elementis.

XXVII.

Quid quod ipsa etiam elementa talia quidem qualia

qualia habemus, animalia & homines nutriunt atq; sustentant? Vt aqua cum cætera plurima tum homines, tera Scorpiones, & ignis Pyralin si Plinio credimus, Aër vero spiritus uitales omnium respirantium. Vnde est illud Poëtæ etiam: Si uescitur aura.

XXVIII.

Prætereo quod corporum partes elementa manifestissimè repræsentant.

XXIX.

Motus etiam & quies corporum uidentur attestari de Elementis: Grauia enim retentionem & fixionem præstare uidentur, leuia agitationem. Sic Medici ad naturam humorum ex his ortorum moueri & quiescere corpora dicunt.

CONSENSVS ET DISSENSVS PHILOSOPHORVM ET MEDICORVM.

XXX.

Ex his quæ dicta sunt apparet Medicis & Philosophis eadem esse prima elementa: imò uero Philosophos hanc doctrinam ex Hippocrate hausisse. Sed alijs atq; alijs appellationibus usi sunt Medici, & ad corpus humanum doctrinam suam restrinxerunt. De qua re nunc etiam aliquid addendum est.

XXXI.

Nominat Hippocrates communia omnium elementa, calidum, frigidum, humidum, & siccum.

Neq;

XXXII.

Neq; sub his appellationibus designat nudas qualitates, aut aliquid quod per exuperantiam tale dicatur, sed corpora intelligit summis qualitatibus prædita, id est elementa.

XXXIII.

Manifestum fit hoc ex eius verbis: Ait enim hæc singula post hominis mortem reuerti ad sui ipsius naturam.

XXXIIII.

Iam qualitates in nihilum abire notum est, substantias uero vniuersi elementis commisceri.

XXXV.

A qualitatibus autem ea denominauit, quia per eas facta sunt.

PROPRIA HOMINIS ELEMENTA.

XXXVI.

Proxima vero & propria corporis humani elementa facit idem Hippocrates quatuor humores.

XXXVII.

Quanquam hi dici etiam possunt elementa omnium animalium sanguine præditorum.

XXXVIII.

Nominantur sæpe hominis elementa à Medicis

partes quoq; corporis similares, ut neruus membrana cartilago &c. Sed quando de sensilibus elementis sermo est. Quamobrem Græcis & μόρια στοιχειώδη & ὁμοιομερῆ στοιχεῖα dicuntur.

XXXIX.

Sed hæ ex humoribus sunt, quemadmodum humores ex nutrimentis, nutrimenta ex elementis.

XL.

Et quanquam hæ quoq; sunt homini cum multis animalibus communes, tamen non sunt cæterorum per omnia humanis similes, imò quædam genere diuersæ, vt rostra, cornua, aculei, squamæ, &c. Neque spectat cæterorum animalium consideratio propriè & principaliter ad Medicum.

CONFVTATIO MEDICORVM QVI VNVM VOLVERVNT ESSE HOMINEM.

XLI.

Hæc quanquam ita sint: tamen quemadmodum inter Philosophos reperti sunt, qui de positis quatuor elementis vnum, alij aliud subiecerunt, ex quo per rarefactionem & condensationem cætera fieri dixerunt: Ita ex Hippocrate apparet Medicos fuisse qui vnum quiddam etiam hominem esse censuerunt, sanguinem videlicet solum, uel pituitam, uel alterutram bilem solam.

XLII.

Qui vt pernicioſe errantes confutandi fuerunt neceſſa-

necessario, ita confutati sunt ab Hippocrate artis & veritatis patre euidenti ratione & experientia.

XLIII.

Nam si vnum esset homo, non doleret.

XLIIII.

Non esset enim à quo doleret.

XLV.

Quod si doleret etiam homo ex vno, vnus tantum esset morbus.

XLVI.

Quod si vnus morbus, vna quoq; esset medela, seu medendi ratio.

XLVII.

Sed nulla est curandi ratio, cui non etiam contraria inueniatur.

XLVIII.

Plures igitur cum sint, & contrariæ curandi rationes, plures etiam & contrarij morbi ac dolores: consequens est: hominem quoq; ex pluribus & contrarijs esse compositum.

XLIX.

Porro quod in homine hæc quatuor elementa proportione primis respondentia insint: Sanguis pituita & vtraque bilis, id clarè quoque docent vacuationes.

L.

Inciſa enim Vena ſanguis effluit continens cæteros quoq; humores, quemadmodum & ſponte ſæpe in Anaſtomoſi. Idem cernitur & in iugulatis & vulneratis.

LI.

Ex exhibito Cholagogo bilis, dato phlegmagogo pituita, hauſto Melanogogo melancholia expurgatur.

LII.

Etſi autem Aſclepiades cauillo quoque hanc experientiam eludere voluit, tamen facile in nihilum redigitur eius garrulitas.

LIII.

Nam quod Rhabarbarum verbi gratia humorem flauum, Cnici ſemen album, Myrobalani nigri atrum humorem educunt, id non fit inquiunt Aſclepiades & eius ſectatores, eò quod tales humores omnes in corpore natura inſint: ſed quia vni & eidem humori alia medicamenta alios colores communicant, eundemq; varie tingunt & alterant.

LIIII.

Eſt enim cum in iam nominatis Catharticis, tum in alijs quibuſdam idem ferè color, qui cernitur in humoribus quos vi ſua propria trahunt.

LV.

Sed quod non tingant, uerum certos humores trahant medicamenta, id vel ex ſuperfluis purgationibus

nibus fit manifestissimum. In quibus primum non alius quam is humor ducitur quem natum est trahere medicamentum, deinde sequuntur rationabiliter alij. Neq; vnus semper uacuatur humor, quod importat opinio aduersariorum.

LVI.

Deinde repugnat Asclepiadi hoc quoq; : quod purgatis noxijs humoribus, ægri manifestam percipiunt utilitatem, iuxta Aphorismum: Si talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, sin minus contra.

LVII.

Et quanquam hic quoque obijcitur: vtilitatem sequi, non ratione uacuati humoris certi seu noxij, sed ratione uacuationis communis, tamen confutatio euidens est.

LVIII.

Nam hoc si ita esset, æquè iuuarentur hi quibus humor certus in corpore peccat, Ictherici verbi gratia, aut Hydropici venæ sectione, ac noxij humoris eductione. Sed hi experiuntur contrarium.

LIX.

Quod si probaret etiam Asclepiades ea quæ hactenus allata de illius sententia sunt, tamen nondum obtineret quod inde concludit. Sed nominanda esset ætas aliqua aut anni tempus, qua ætate aut quo tempore vnus humor tantum in hominis corpore ostendi posset.

LX.

Horum uero nullum dari potest. Nam quocunq; anni tempore, cuiuscunq; ætatis homini Pharmacum dederis, semper trahet suum humorem.

LXI.

Similiter si Venam inciderís omnes humores apparebunt.

LXII.

Semper igitur quatuor humores dati homini insunt, & ex his homo est genitus, nutritus & auctus: summa hi sunt hominis natura, per hos delectatur, valet, dolet, ægrotat, sanatur, moritur.

Problemata.

I.

QV. AN ex Atomis res ullæ, nedum uniuersæ componi possint?

II.

Vtrum elementa utranq; qualitatem habeant summam, an remissam alteram?

III.

An misceantur substantiæ elementorum an qualitates?

Vtrum

IIII.

Vtrum elementa miſceantur tota per tota?

V.

An Elementa maneant in mixto κατὰ ποιότητας an κατὰ σώματα?

VI.

Vtrum Poëtæ aſsignantes Saturno filios: Iouem, Neptunum, & Plutonem, filiam uero Iunonem quæ Iouis ſit non modo ſoror, ſed etiam coniunx: doctrinam de Elementis Mundi tradiderint?

VII.

Vtrum ſtet ſua cuique dies, quemadmodum Iupiter apud Maronem ait, & ſentire uidetur Hippocrates, atq; confirmat in ſacris literis Regulus Huſsita: an ſit penes Medicos humanæ uitæ non modo gubernatio, ſed & prorogatio?

FINIS.



